



# **Disputatio juridica inauguralis de exercitoria-actione**

<https://hdl.handle.net/1874/342135>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

EXERCITORIA-ACTIONE,

Q U A M,  
DIVINO FAVENTE NUMINE  
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

U T E T

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-  
legiis ritè, & legitimè consequendis,

*Publico examini subjiçit,*

P E T R U S V A N A L M O N D E, I N D U S.

A. D. 14. Sept. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, c1o 1oc LXXXVIII.

*Nobilissimo, Spectatissimo, ac  
Strenuissimo VIRO,*

DOMINO,

D. PHILIPPO  
VAN ALMONDE,

Illustrissimorum Amsteloda-  
mensium Collegiorum vice  
Archithalasso, Patruo, de me  
studiisque meis maxime me-  
rito, omni reverentia co-  
lendo.

*Has Studiorum primitias*

Offero, & Consecro.

PETRUS VAN ALMONDE,

AUCTOR.



# P R O O E M I U M.

**R**eipublicæ quamplurimum interesse maris usum, & navigandi utilitatem, nullus dubitat: per eam enim omnem pæne orbem, qui longis a semetipso dirimitur spatiis, non tantum sibi invicem notum, sed socium quodammodo, & communicabilem facit, ut unusquisque si quid apud se gignitur, hoc etiam ad proximos suos, procul positos, deferat: & ut uno verbo dicam, universus orbis per eam, tanquam una mensa omnibus efficitur. Igitur mihi, ex quatuor, de exercitoria Actione, de Injuriis, de Consuetudine, de Actione Pauliana, à Nobilissima facultate Juridica præscriptis materiis, materiam exercitorie Actionis præferendam judicari, triplici ratione motus (1) quia hæc materia paucorum disputationi est subjecta (2) quod ejus utilitas commendatione non egeat, ipsa enim sese ostendit, Inquit Ulpianus in l. 1. pr. ff. de exercit. Act. (3) quod moribus sit conveniens. Proinde honoris, ac Doctoralis laureæ conquirendæ gratia, protenuitate mea, oculis perutilem, ac necessariam materiam proponere exordior.





DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EXERCITORIA - ACTIONE.

T H E S I S I.



Ero Naturæ Jure ex facto alieno ne-  
mo tenetur, nisi qui bonorum succes-  
sor est, nam ipse Imp. Zeno æquitati  
naturali contrarium dicit, ut pro alie-  
nis debitis alii molestantur *l. unic. Cod.  
ut nullus ex vicar.* hinc tituli in Jure  
Romano, *ne Uxor pro Marito, ne  
Maritus pro Uxore, ne filius pro Patre.  
ne Pater, vel Mater pro filio convenian-  
tur.* Hæc jam, quanquam vera sunt, tamen Prætor æquitate  
*l. 1. pr. ff. b. r.* & publica utilitate *d. l. 1. §. 20.* motus (nam  
Prætor habebat potestatem adjuvandi, supplendi, vel corrigendi  
jus civile *l. 7. ff. de just. & jure*) hunc juris rigorem relaxa-  
vit, introduxitque *Exercitoriam Actionem*, qua convenire  
Exercitor poterit ex contractu, cum Magistro navis secundum  
modum præpositionis inito *§. 2. Inst. quod cum eo & c.*

II. Vifa



## I I.

Visa actionis causa, videamus ejus Etymon. *Actio Exercitoria* dicitur à Domino præponente, scilicet *Exercitore*, id est, ad quem obventiones, & reditus omnes perveniunt, sive is Dominus navis sit, sive à Domino navem per averfionem (id est, universum, non ad certum numerum amphorarum, vel modum onerum) conduxerit vel ad tempus, vel in perpetuum *l. 1. §. 15. ff. h. t.* apud Nostrates eam *freeder* dicitur.

## I I I.

Ab Etymologia transimus ad definitionem. *Actio exercitoria* ergo est *actio personalis, prætoria, aliquando bonæ fidei, aliquando stricti juris, prout est actio principalis, cui adjicitur, que datur illis, qui cum Magistro, vel Promagistro navis contraxerunt ejus rei gratia, cui prepositus est, adversus exercitorem, ad præstandum id, quod vi conventionis illius actoribus debetur l. 1. §. 5. 7. ff. h. t. §. 2. Inst. quod cum eo &c.* Perlustremus singula

## I V.

Dicitur *Personalis*, quia oritur ex conventionem aliqua præcedente, licet alienâ. *Prætoria*, auctore enim prætoris est introducta *l. 1. §. 7. ff. h. t. §. 2. Inst. quod cum eo &c.*

## V.

Dicitur porro, *aliquando bonæ fidei, aliquando stricti juris, prout est actio Principalis, cui adjicitur.* Hinc ergo patet hanc actionem non esse actionem propriam, & per se constantem, sed potius actionis ex contractu adjectionem, sive qualitatem adjectitiam, veluti si quis Magistro quid vendiderit, aut ad usum navis quid locaverit, vel mutuam pecuniam dederit, is vi prætoris qualitatis (nam jus civile vix ferebat, ut Præ-

## 6 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

ponens eo nomine conveniri posset) habet adversus præponentem actionem venditi exercitoriam, *primo*; locati exercitoriam, *secundo*; certi conditionem exercitoriam, *tertio casu*. Postea autem forte juris prudentum opinione effectum est, putantium, postquam Prætoris edicto tenerentur exercitores, parum interesse, sive adjecta qualitate, sive directo iudicio teneantur, ut ipsi quoque exercitores directa actione conveniri possint, quasi ipsi per Magistrum navis contraxissent, vel eum contrahere iussissent §. *ult. Inst. quod cum eo &c.* Quod & moribus observari testatur, *Vinn. in Not. ad Perr. Peck. de exercit. Act. l. 1. §. 17.*

### V I.

Cætera verba definitionis indicant (1.) cui detur *Actio nostra* (2.) de quibus rebus (3.) adversus quem (4.) ad quid.

Datur *his, qui contraxerunt cum Magistro vel pro Magistro navis l. 1. §. 2. junct. §. 5. ff. h. t.* Sed antequam hæc explicamus præmittendum erit, quis dicatur *Magister*, dein quis *Promagister*, tertio *qualis Navis* hic intelligatur.

### V I I.

*Magistrum* navis accipere debemus, per quem (sive is sit liber, sive servus, proprius, an alienus, pubes, an impubes nihil refert *l. 1. §. 4. ff. h. t.* ratio est in *l. 7. §. 2. ff. de Inst. Act.*) exercitor navem exercet, sive cui totius navis cura incumbit, & mandata est *l. 1. §. 1. ff. h. t.* quam ob id Græci *πιστόν ἢ πλοία* appellant. Ideoque Ulpianus dixit *totius navis*, quia raro accidit, ut unius navis plures Magistri fiant, & si sint plures Magistri, singulis in solidum censebitur commissa cura navis, quæ individua judicatur, nisi alia Lex præpositioni adscripta sit. *l. 1. §. 13. 14. ff. h. t.* & hæc cura jam præcipue consistit (1.) ut navem non plus justo oneret, alias enim damnum *lege Aquilia* posset vindicari *arg. l. 27. §. 3. ad leg.*



*leg. Aquil.* (2.) Ut merces non in foris, aut Acatio ponat. *Nofrates* op deu Overloop / of inde Boot. (3.) Ut habeat mercium omnium impositarum rationem, quas ob id ex inventario, legitimè per modum instrumenti confecto, suscipit: quod instrumentum *nostrates* vocabulo nautico *Charte-partie* vocant. *Arn. Vinn. not. ad Petr. Peck. commen. de exercit. Act. l. 1. §. 1.* (4.) Ut ubi necessitas exigat adhibeat peritum loci nautam. *Nofrates* Lootsman / of Pilote. (5.) Ut ob immi-nens, vel præfens naufragii periculum, explorato consilio Mercatorum, aut majoris partis sociorum jactum faciat, & quidem earum rerum, quæ majoris ponderis, & minoris sunt pretii: quo pertinet celebris illa lex *Rhodia de jactu.*

## V I I I.

*Promagister*, seu *Submagister*, dicitur, qui ab ipso Magistro est præpositus, sive ille Magister jam sciente, sive volente, sive invito Domino hoc fecerit, nihil interest, *omnia enim facta Magistri debet præstare, qui eum præposuit*, alioquin contrahentes deciperentur *l. 1. §. 5. ff. b. t.* sed tamen, si quid damni ob hanc causam patiatur Exercitor, habebit eo nomine cum primo Magistro actionem locati, vel mandati *d. l. 1. §. 18.*

## I X.

Sequitur jam *navis*, cujus variæ sunt appellationes, & varia genera, quæ omnia enumerare, & explicare non est nostri instituti, sed desiderantem ad *Gell. lib. 10. cap. 25.* remittimus: illud enim tantum nobis videndum est, *qualis navis hic intelligatur, de qua ita Ulpianus navem accipere debemus, inquit marinam, sive fluviamilem, sive in aliquo stagno naviget, sive Schedia sit l. 1. §. 6. ff. b. t.*



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

### X.

Hiscæ præmissis. Redeamus ad personas, quibus detur *nostra Actio*, & diximus in *thesi* VI. iis dari qui contraxerunt cum *Magistro*, vel *Promagistro Navis* ex l. 1. §. 2. *junct.* §. 5. ff. b. t. Hinc ergo duo requiruntur: *Primo*, ut contractus aliquis sit celebratus, ex quo *Actio Principalis* nasci, eaque vi *Prætorie* qualitatis contra exercitorem institui possit: sed nihil hic refert, utrum quis per se, an per alium contraxerit, quod quis enim per alium facit, ipse fecisse intelligitur l. 180. ff. de Reg. Jur. Datur etiam hæc *Actio heredibus*, quia est reipersecutoria, unde etiam in *heredes datur* l. 4. §. fin. ff. b. t.

### X I.

*Secundo* requiritur, ut *Contractus* ille cum *Magistro*, vel *Promagistro* initus sit l. 1. §. 2. ff. b. t. §. 2. *Inst. quod. cum eo &c.* non ergo datur, si cum quolibet *Nautarum* sit contractum d. l. 1. §. 2. quamvis ex delicto cujusvis eorum, qui navigandi causa in navi sunt, *Exercitores* teneantur, curare enim debent, ut dolo & culpa careant d. l. §. 2. Porro, quare etiam *Exercitor* ex contractu *Promagistri*, licet etiam, invito eo, à *Magistro* fuerit præpositus, obligetur, in *thesi* VIII. explicatum jam est, ad quam *Lectorem* remittimus, ne & nobis hoc obijciatur, quod *Juvenalis Satyra* 7. ait.

*Nam quacunque sedens modo legerat, hæc eadem stans  
Profert, atque eadem cantabat versibus iisdem.  
Occidit miseros crambe repetita magistros.*

### X I I.

*Excussimus* cui competat *nostra Actio*, excutiamus jam res, de quibus competat. Competit de omnibus rebus, quibus

*bus Magister præpositus est l. 1. §. 7. ff. h. t.* his verbis *tertium* significatur *requisitum*, nimirum ut contractus sit initus ejus rei gratia, cui Magister est præpositus, & quidem secundum formam præpositionis, illa enim dat certam legem contrahentibus, cujus limites egredi non licet, quam si egressus fuerit, non obligatur Exercitor *d. l. 1. §. 12. l. 5. ff. mand.* nam iniquum esset obligari præponentem ex contractu præpositi, ejus rei nomine, in quam præpositus non est exemplum habes in *l. 16. ff. de instit. Act.* Igitur caute creditores agere debent, inquit enim Regula Juris, *qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis ejus l. 19. ff. de reg. jur.* Quamvis jam, si Magister mandati fines egressus fuerit, nulla contra Exercitorem competat Actio, attamen cum ipso Magistro experiri non prohibetur, qui dolo contrahentem circumvenit.

## X I I I.

Forma hæc præpositionis tamen non ita præcise est intelligenda, ut non ullo unquam casu eam excedere liceat, sed potius ad ea quoque extenditur, quæ sæpe incidenter & per consequentiam rei principaliter commissæ veniunt, ut, si navis sit reficienda, aut instruenda, & Magister ob id pecuniam mutuatur, Actio in Exercitorem dabitur, modo sequentia concurrant (1) ut sciat in hoc se credere, cui Magister præpositus est *l. 1. §. 7. ff. h. t.* (2) ut is, qui mutuatus est probet navem debere refici *l. ult. in fin. pr. ff. eod.* (3) ut pecunia expresse credatur ad eam causam, non enim requiritur, ut probet re ipsa pecuniam in eam rem versam esse *l. 1. §. 9. eod.* (4) ut non multo major pecunia credita fuerit, quam ad eam rem esset necessaria *l. ult. in fin. pr. eod.* (5) ut pecunia credita sit eo loco, ubi navis refici poterat *d. l. ult. §. 1.*



## XIV.

Præcedentis theſis occasione Elegans nobis expendenda venit quæſtio, nimirum, *an is, qui in navem armandam, aut reficiendam credidit, tacitam habeat hypothecam?* Cauſa quæſtionis eſt *l. 1. ff. in quib. cauſ. pign. tacit. contrab.* quæ iis, qui in reſtitutionem ædificiorum pecuniam crediderunt, tacitam concedat hypothecam. Hoc juſ jam multi interpretes ad eos etiam pertinere putant, qui in navem extruendam, vel reficiendam pecuniam crediderunt: ſed an Juri civili (nam Moribus certum eſt eum, qui ad Navis refectionem credidit habere, tacitam hypothecam *Voet ad tit. in quib. cauſ. pignus &c.*) hoc conſentaneum ſit, valde dubito: quandoquidem omnes tacitæ hypothecæ nominatim legibus conſtitutæ ſunt, nulla autem lex hujus hypothecæ meminit: quamvis vero pecuniam credentibus ad refectionem navis personale privilegium detur, ut ſcilicet aliis creditoribus Chirographariis, tale privilegium non habentibus, præferantur *l. 26. l. 34. ff. de reb. aut. jud. poſſ.* ex eo tamen non recte inferas etiam hypothecam iis datam eſſe: nam & ei, qui in rem aliquam emendam pecuniam credidit, idem privilegium datum eſt *dd. ll. qui tamen hypothecam non habet, niſi expreſſe eam pactus ſit l. 7. Cod. qui pot. in pignor. l. 17. Cod. de pign. & hypoth. Nov. 136. Cap. 3.* argumenta, quæ huic opponuntur, tum demum, ubi in Diſputationis arenam ventum erit, ſolvere contendemus.

## XV.

Quemadmodum in aliam cauſam, quam præpoſitus eſt, Exercitorem obligare Magiſter non poteſt, ut dictum eſt in *theſi XII.* ita quoque debitor, ex alia cauſa Magiſtro, quam præpoſitus eſt, ſi ſolverit liberationem minime acquiret *l. 1. §. 12. ff. h. t. l. 34. §. 4. ff. de ſolut. & liber.* niſi Domini ratiſhabitio poſtmodum ſubſequatur *l. 14. ff. de cond. cauſ. dat.*

*dat. &c.* si vero ratum habere noluerit, ab ipso Magistro repetetur, non ut indebitum, sed quasi ob rem datum, nec res secuta sit, ratihabitione non intercedente, vel quod furtum faceret pecuniæ falsus Magister, cum quo non tantum furti, sed etiam condici ei posse *d. l. 14.*

## X V I.

Jam videamus aduersus quem detur *nostra* Actio. Datur *aduersus Exercitorem l. 1. pr. ff. h. t. ejusque heredem l. 4. §. fin. eod.* quis sit *Exercitor in thes. 11.* dictum est. Sed hic videamus, quisnam *talís* esse possit. Possunt navem exercere tam *Mulier*, quam *Masculus l. 1. §. 16. eod.* ratio est, quod in obligationibus principalibus cum *Viris* comparentur, nec sunt illi contractus alieni, sed ipsius mulieris, tam *Liber*, quam *servus d. l. 1. §. 16.* licet etiam *servus alienatus fuerit l. 5. §. 3. eod.* quia cum merce potius, quam cum persona Contractum videatur: sed nec ejus morte extinguitur *hec Actio*, nam quamvis, *Auctore Justiniano*, mors omnia solvere dicatur, ad naturalem hoc tantum, non ad civilem resolutionem pertinere potest. *l. 57. ff. de verb. oblig.*

## X V I I.

Possunt præterea navem exercere non tantum *Paterfamilias*, sed & *filiusfamilias*, etiam *Pupillus* ex auctoritate tutoris *l. 1. §. 16. ff. h. t.* De filio tamen & *seruo* tres casus sunt distinguendi. (1.) Si *filius*, aut *servus* exerceant Patre, vel Domino ignorantibus, tenetur Pater, vel Dominus *actione de peculio.* (2.) Si Patre, vel Domino sciente, locus est *tributoria d. l. 6.* (3.) Si exerceant navem expressa voluntate Patris, vel Domini, *actione exercitoria* convenitur Pater, vel Dominus in solidum, sive cum Magistro filii, sive cum ipso filio Exercitore contractum sit, *l. 1. §. 19, 23. ff. h. t.* quod an etiam in emancipato filio locum habeat *quæri* solet; & magis est, ut ha-



## 12 DISPUTATIO JURIDICA

beat. l. 39 ff. de oblig. & act. l. 57. ff. de judic. quamvis prioribus duobus casibus Pater in solidum non teneatur, attamen filiusfamilias in solidum obligatus manet l. 44. ff. de pecul. licet etiam Pater filio peculium ademerit l. 45. d. tit. sed quid si omnia bona sint Patris, & filiusfamilias nihil habeat bonorum, inanis ne actio propter inopiam constituetur l. 6. ff. de dolo? Communi calculo receptum est, ad cessionis beneficium eo casu deveniendum esse. *Cum enim inquit Justinianus & filiusfamilias possint habere substantias, quae patribus acquiri vetitae sunt: nec non peculium castrense, vel quod Patre volente possident, quare cessio bonorum eis deneganda sit: cum eis nihil in suo censu habeant, tamen ne patiantur injuriam, debet bonorum Cessio admitti? Si enim & Paterfamilias admittendus est, propter injuriarum timorem ad Cessionis flebile veniens adiutorium: quare filiusfamilias utriusque sexus hoc jus denegamus? Cum appertissimi juris sit, & inter Patresfamilias, & inter alieno juri subiectos, si quid postea eis pinguis accesserit, hoc iterum usque ad modum debiti posse à creditoribus legitimo modo avelli. l. pen. Cod. qui bon. ced. poss.*

## XVIII.

Non tantum unus, sed & plures possunt esse Exercitores, qui singuli creditorum ex contractu Magistri tenentur in solidum l. 1. §. ult. ff. h. t. ratio est, ne in plures adversarios distringatur, qui cum uno contraxit l. 2. eod. ex eo satis intelligimus beneficio divisionis hoc casu locum non esse. Idem est, si contractum sit cum communi servo, voluntate omnium Dominorum navem exercente l. 6. §. 1. eod. secus est, si unius duntaxat Domini voluntate navem servus exercent, tunc enim ille solus, cujus voluntate exercet, in solidum exercitoria actione tenetur, ceteri non nisi de peculio l. 4. §. 2. junct. l. 6. eod. secus etiam est, si plures sint exercitores, & cum uno ex pluribus, navem per se exercentibus contractum sit, hic enim solus tenebitur, & quidem in solidum, actione scilicet

licet propria ex suo contractu, non exercitoria, alii vero nullo modo tenebuntur, quia neque per se, neque per alium, contraxerunt *l. 4. eod.* non idem est, si placuerit ut sui invicem Magistri essent *arg. d. l. 4.* cæterum si plures sint Exercitores, & unus solvit, id à cæteris non *actione mandati*, aut *locati* sicut in *l. 1. §. 18. eod.* sed *actione pro socio*, aut *communi dividundo* pro rato repetit *l. 3. eod.* Moribus receptum esse, ut ex contractu quoque Magistri, à pluribus constituti, singuli Exercitores non in solidum, sed pro sua duntaxat parte exercitionis conveniri possint, tradit *Vinn. in not. ad Petr. Peck. comment. ad l. 4. de exercit. act.*

## X I X.

Non tantum, si cum Magistro contractum sit, tenetur Exercitor, sed etiam Magister actione directa civili ex proprio contractu (modo sit persona libera, non servus, qui ex contractu civiliter non obligatur, neque iudicio agi cum eo potest, *l. 107. ff. de reg. jur. l. 6. Cod. de judic.* ideoque solus Dominus hic conveniendus est) potest conveniri, daturque electio, utrum Exercitorem, an Magistrum convenire velimus *l. 1. §. 17. ff. b. t.* quippe Prætor non ea mente introduxit exercitoriam, ut perimeret eam, quæ directo in Magistrum ex contractu ejus competit, & quasi novatione facta, hanc in illam transferret, sed ut civili actioni honorariam adjiceret, atque ita ei, qui cum Magistro contraxit, plenius consulere *Struv. ad h. t. §. xiv.* illud adhuc hic nobis observandum est, quod uno solvente liberetur alius *l. 1. §. 24. ff. b. t.*

## X X.

Egimus cui detur, de quibus rebus, adversus quem, restat ut videamus ad quid detur nostra actio. Datur ad præstandum



*id, quod vi conventionis illius actoribus debetur, l. 1. §. 5. 7. ff. h. t. §. 2. Inst. quod cum eo &c.* Competit ergo hæc actio ad perfequendum solidum, quod actori ex Magistri contractu debetur *l. 1. §. 23. eod.* non vero ejus, quod in contractum venit, nam si ipse Magister jam quædam solvit, cessat in id, quod solutum est *d. l. 1. §. 24.* quandoquidem hæc actio non est (ut ante dictum) actio per se constans, sed potius actionis qualitas adjectitia, hinc debitum in hanc actionem nunc aliud, atque aliud veniet, prout Magistro quid vel venditum, vel emptum, vel locatum, vel alias creditum est, unde non mirum est eam post annum dari *l. 4. §. 3. & ult. ff. h. t.* Moribus Exercitores non amplius tenentur, quam ad æstimationem navis & eorum, quæ in navi sunt *Grot. de jure belli ac pacis lib. 2. Cap. 11. §. 13.*

## X X I.

Corollarii vice tractanda est quæstio, *num etiam Exercitor hac actione exercitoria possit experiri contra debitores, qui cum Magistro contraxerunt?* Quod negandum videtur, quia habet alias actiones civiles, nam sic aut ex *Locato* cum Magistro, si mercede operam ei exhibuerit, aut si gratuitum, *mandati* agere poterit *l. 1. §. 18. ff. h. t.* aliquando tamen exercitori propter ministerium annonæ ex æquitate extra ordinem succurritur. *d. l. 1. §. 18. in fin.*



## COROLLARIA.

I.

**N**egotiorum gestor praestat culpam  
levissimam.

II.

*Commodatarius tenetur, si in casu in-  
cendii proprias res commodatis rebus  
praetulerit.*

III.

*Non tantum rerum corporalium, sed et  
incorporalium est dominium.*

IV. Tu-



I V.

*Tutor ob latam culpam remotus fit in-  
famis.*

V.

*Famina in codicillis testis esse potest.*

V I.

*Quarta divi Pii est omnium bonorum.*

V I I.

*In causis civilibus tantum, non vero  
criminalibus præstatur jusjurandum.*

V I I I.

*In causis Criminalibus Procurator esse  
nequit,*

*nequit, nisi pena sit relegatione  
minor.*

I X.

*Fera in alieno fundo, invito Domino  
capta, fit capientis.*



C

AAN





A A N D E N H E E R

PETRUS VAN ALMONDE,

Doen hy tot *Utrecht* na gehouden twist-  
redenering met algemeyn genoegen,  
*Doctor* in beyde regten gepromo-  
veerd wierd, den 14. Sept. 1688.

— *Nec imbellem feroces  
Progenerant aquilæ Columbam.*



At mag het oud *Athenen* roemen,  
En *Grieken* hare Scholen noemen,  
Als of alleen in dat klimaat,  
En in geen and're vreemde palen,  
Was kennis, en verstand te halen,  
Daar yder van verwonderd staat.

'k Wil nu 't geheugen niet verversen,  
Met Helden van de wijze *Perssen*  
Of *Arabiers* in groot getal.  
Wat souw my dese moeyte lusten,  
Een stad in *d'Indiaansche* kusten  
My stof genoeg verschaffen sal.

A L-

ALMONDE dien nu alle monden  
Toejuychen, is ons toegesonden  
Uyt *Cormandel* een trefflijk oort  
Daar eerst geplant, hier opgeschoten,  
En vrugt gegeven. *Sulke loten*  
*Brengt een beroemde stamme voort.*

So aarden Kinders na haar Vader,  
So foeken sy hem altijd nader  
Te komen, ja gelijk te zijn.  
ALMONDE klimt op steyle wegen,  
Heeft 't oogwit van sijn sin verkregen,  
Niet sonder grote moeyt, en pijn.

Hy gaat sig tot *Studeeren* fetten  
Hy heeft doorbladerd vele *Wetten*,  
En alles vlijtig onderfugt,  
't Geen door de naarstigheyd der genen,  
Wiens sterre lang heeft uytgeschenen,  
Was op 't papier in 't ligt gebrogt.

Nu krijgdt hy prijs. De twe *Godinnen*,  
ASTRAEA en THEMIS hem beminnen,  
En geven hem de regterhand.  
Dit is het loon voor al zijn ploegen,  
*Dus volgd na moeyte vergenoegen.*  
*Dus stapten uyt de Zee op 't Land.*

Verstrekt dan door uw' wijse raden  
Hun, die met lasten sijn beladen  
Een *Voorpraak*, met de pen, en woord



Bevljctgd uw , in al uw leven  
Om yder een , het fijn te geven,  
Dat is , 't regt dat hem toebehoort.

So gunn' u GOD een reex van jaren,  
En wil u in het leven fparen  
Ten beffe voor het *Chriftenrijck*,  
Ten voordeel der bedrukte menfchen.  
So gá het alles naar uw wenfchen,  
Hier , en hier namaals eeuwiglijk.

*Non ut volui , fed ut potui.*

D. H.

